



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo porphyreticum marmor sine scalpro calare possimus. Cap. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

niacum puluerabis in vitreo vase longioris colli clausum sub fumo, aut locis humidis pones, vsq; donec vertatur in aquam, in quam exandescens ferrum immergatur, melius operatus fueris. Præterea in liquorem calcis viuæ, & salis sodæ penicillo purgatum immersum ferrum, durissimum quoque euadet. Hæc omnia optima sunt, & opus exequentur. Hæc tamen longè meliora ponemus

Ferrum temperare ad porphyreticum marmor incidendum.

Fugitiuum seruum iam receptum, & postea exaltatum cape, & vitreo vase claudere, donec extabescat, aqua, vel igne, scalprum ita obdurabit, vt facile compos fias voti, sed si nimia duritie fragile eueniet, addito plus liquoris, sin minus, corporis; hoc tamen tantisper curato, dum operis mensuram adinueneris, nam & forte, & neruosum ferrum euadet. Idem & optimè eueniet pythonis serpentis eluue, & extabescètia, sal enim fortitudinem, pinguedo neruum dabit, & hæc sunt optima, & meliora, quæ in hoc genere experti sumus.

Quomodo porphyreticum marmor sine scalpro calare possimus. CAP. VII.

SUNT tamen alij qui idem agere sine scalpris conati sunt, sed valida, & vehementi aqua, eosq; hoc argumentum impulit: videtes enim acetum, & acres succos supra marmor impositos in bullas extumescere, & illud corrodere opinati sunt, si vehemètem, & validissimum liquorem ex acribus, & corrodentibus elicerent, futurum vt sine labore opus idem exequi possent: tandem hoc modo operam exequenti sunt. Accipe argentum viuum sublimatum, & salis ammoniaci parum, hæc, vt docuimus, distilla per vitrea organa, mox cape viridis æris, stanni in calcem redacti, ac pyridis lapidis parum, contere omnia cum sale gemma, & cõmuni, & ammoniaco, & distilla, & distillatum liquorem super feces affunde, & iterum distilla, & hoc iterum tertio facito, tandem serua liquorem vase bene operculato. Quum opus aggredieris, porphyreticum marmor hircino sepo deli-

nito, solas eas partes intactas relinquito, quas excavare desideras, spondam accommodabis; ut dum liquorem supra affundas, ne hinc inde diffluat, & liquor impositus validissime exedit, ubi ab opere cessarit, projice, & nouam indito, id semper repetendo, donec excavaueris quousque volueris, & tuum opus peregeris.

Quomodo ferrum coquatur, operibus ut sit tractabile.

C A P. VIII.

QVAMPLVRIMI sunt, qui diligentissimè obseruant, perquiruntq; quomodo secreta quadam arte adeo ferrum temperari possit, ut ne rumpatur; vel tormentorum sclopis ne perforetur. Sed hi, quæ in manibus habent, non curant, quod nõ habent, perquirunt; nam si dum coquitur ferrum, consideraret, fortasse quod tanto studio quærunt, ante oculos haberent. Dicunt igitur, quod ratio, cur enses rumpantur, & in partes diluiliant, & pectora ferrea sclopetorum ictibus etiam iunguntur, est, quia in ferro rimæ sunt, diuersi: quæ in partibus hincit, & partes satis male consolidatæ, & quia vix visu percipiuntur squamulæ, causa est, ut quum incuruatur, vel percutiuntur, rumpantur: nam si solerter animaduertes, ubi enses, vel cultri in partes exiliant, semper eiusmodi fissuras, & rimas inuenies, & solidæ partes infractæ semper, & curuaturæ resistunt. Sed quum rimarum causam perquirerem, tandem comperi in ferrariis officinis, ubi ferrum percoquitur, supra ferrum cumulant carbones, & carbonum quisquilias, dicentes ferrum contumacius coqui, nisi quisquilijs, & carbonis puluere tumultetur, & cum puluere semper commistus lapillus, creta, variæ sordes, laterum fragmenta, aliaq; assulatiim congesta, quæ quum in igni liquecant, in superficie bullolas quasdam congeries, vel intus inanitates, & fissuras causantur, ut minus partes cum partibus coire possint. Vnde & si res vilissima, paruaque considerationis, tamen in causa est, ut hæc inconuenientia succedant; ut igitur hoc impedimentum amoliamur, id censuimus faciendum. In ligneam tinam aquæ plenâ carbones projicimus, nã & ipsi in superficiem feruntur (lapi-

des